

III B

*La Translation des saintes Reliques de la Passion dans la basilique de Notre-Dame d'Aix en Allemagne*¹.

Récit de Charles du Saussay, dans ses *Annales de l'Église d'Orléans*, au chapitre relatif à l'évêque Guibert.

GUIBERTUS.

XL. Hic, ab omnibus incelebratus hactenus, ex veteribus manuscriptis sancti Dionisii in Francia nobis emicuit, ex quibus haec exscripta sunt :

« Rex Carolus legatos regio per totum pene orbem terrarum destinavit, monens, ut omnes, in idibus mensis Junii, Aquisgrani convenirent, ad adorandas sacrosanctas reliquias, quarum hic est catalogus, videlicet de spinea corona Domini octo spinae, unus de clavis Domini, de cruce unum frustum, *Sudarium Domini*, camisia beatae Mariae virginis matris Christi, fascia qua corpus Domini strinxit et in praesepio ligavit et brachium sancti senis Simeonis.

Sanxit autem summus pontifex Leo ; nec non inclytus rex Carolus Magnus, tum etiam archiepiscopi, episcopi, abbates, aliique ecclesiae dignitatis quamplures sanxerunt et confirmaverunt indictum et indulgentiam indicti, ut omnes, qui ad visitandas ac venerandas istas sacrosanctas reliquias accederent, omnium suorum delictorum veniam acciperent, dummodo primum peccata sua pure confessi fuissent.

Haec sunt nomina praelatorum : Leo papa, Turpinus archiepiscopus Remensis, Justinus Coloniensis archiepiscopus, etc., Humbertus episcopus Xantonensis, Guibertus episcopus Aurelianensis, Joannes Abrincensis, Godofredus Noviomensis, Israel Metensis, Rodolfus Cameracensis, etc. », cum multis aliis, quorum nomina hic inserere videtur supervacaneum.

Hoc manuscriptum existimatur esse Rigordi, cui consentiunt *Annales* vulgo nuncupati sancti Dionysii, ex quibus intelligitur reliquias illas Carolo donatas a Constantino imperatore, Guibertum vero sedisse sub Leone III pontifice, Carolo Magno rege Francorum. Quod quam certum sit, fides sit penes authores.

Annales Ecclesiae Aurelianensis, auctore Carolo Sausseyo. Paris, Drouart, 1615, in-4°, p. 278-280.

1. M. le baron de Bonnault d'Houët nous a grandement aidé à réunir les documents relatifs à la translation du Saint Suaire. Il nous est bien agréable d'avoir à lui en exprimer toute notre gratitude.